



FRidericus ille filius fuit Friderici Landgravi
Thuringiæ & marchionis Misniæ. Hunc parē
tes in omnis generis uirtutibus educarunt. Itaque
post patris obitum utranq; ditionem obtinuit, &
magna prudentia administruit. Erat enim prin-
ceps multis uirtutibus, atq; insigni pietate & forti-
tudine conspicuus. Itaq; cum is uideret Sigismun-
dum Cæsarem à Boemis subditis premi, eosdem
bello aggressus est, atq; uictos ad officium rede-
git. Id cum Sigismundus Cæsar cognouisset, eius
uirtutem admiratus, occasionem quæsiuit, qua ra-
tiōe huic principi dignas gratias ob beneficia præ-
stita referre posset. Opportunè autem contigit, ut

electoralis Saxonum dignitas in Alberto deficeret. Itaq; Sigismundus Cæsa-
rea dignitate, cum Imperij procerum consensu, anno millesimo quadringen-
tesimo uicesimotertio fortissimo huic principi Saxoniae ducatum cum ele-
ctorali dignitate contulit, atq; antiquo more inuestiuit. Hanc dignitatem ille
magna prudentia & authoritate administruit, atq; in sua familia cōseruauit.
eam enim moriens Ernesto filio cum ipsa Saxonia reliquit. Alberto autem al-
tero Thuringiam & Missniam concessit. Huius posteritas etiamnum ihs in lo-
cis magna dexteritate rerum potitur, atq; insigni iustitia, pietate, & for-
titudine inter Germaniæ principes summum ferè locum
obtinent. Monst. lib. 3. Eius hæc fuit po-
steritas.